

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4**

57 Reden der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420,3

**Molter, Johann**

**[Karlsruhe], 1783-1800**

[Junker, Friedrich]: De magnitudine animi oratione locutus est, 9 Juni 1798

[urn:nbn:de:bsz:31-99849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-99849)

De  
magnitudine animi  
oratione locutus est  
Fridericus Funke,  
Nonis Jun.  
1798.

*[Faint, illegible handwriting in the center of the page]*

*[Faint handwriting on the right edge of the page]*

*[Faint handwriting on the right edge of the page]*



Exordium. Praestantia magnanimitatis ejusque  
falsa vituperatio.

Thema. De magnitudine animi.

Pars I. Notio generalis hujus virtutis, cui

A, Duae sunt partes constituentes

1, elatio et sublimitas mentis, quae actiones  
nostras ratione dirigit.

2, animi bonitas aut benevolentia, qua ad  
agendum compellimur.

B, Diversa ejus genera: praestamus cum nempe

1, erga eos à quibus offendimur

a, aut ex proposito et inimico animo.

b, aut casu et iis invitis.

2, erga miseros et pauperes.

3, mentis quadam elatione divitias, dignitates  
ac honores, nobilibus ducti rationibus,  
tanquam iis majores, despiciamus.

Ex quibus praecipue animi magnitudo in  
inimicos, et eos a quibus laedimur, confide-  
ratur, dum exponimus

a, ejusdem naturam ac indolem.

b, falsam et simulatam magnanimitatem.

Pars II. De exercendis ac colendis magnani-  
mitatis praeceptis.

A, Rationes ad praestandam hanc vir-  
tutem nos incitantes.



•  
*B, Media, quibus ejus compotes nos red-  
 dimus.*

- 1, Quoscunque homines pari studio  
 ac amore complecti nos decet.
- 2, nobilitatem atque egregiam hujus virtutis  
 pulchritudinem ante oculos ponamus.
- 3, vivum atque ardens cognitionibus  
 iis congruenter vivendi consilium  
 capiamus, et demum
- 4, meditatione et assiduo usu ac exer-  
 citatione magis magisque illam  
 consequi adlaboremus.

Quod  
 plur  
 culta  
 que  
 quere  
 est  
 ulc  
 hac  
 suo  
 tuen  
 sacpe  
 hac  
 alien  
 grad  
 offic  
 ceter  
 exfo  
 hom



Director excellentissime!  
Socii condecoratissimi!

Quaelibet virtus, si eo majoris est pretii, quo plures homini in ea exercenda occurrunt difficultates, et si eo magis admiratione est digna, quo majori cum periculo illam praestamus: quatenam virtus magnanimitate excellentior est et admirabilior, quae ignoscere semper quam ulcisci mavult injurias: quatenam humana hac virtute praestantior, quae firmo certoque suo jure decedit potius, ac illo obtinendo tuendoque durius aliquem tractat, et proprio saepe periculo miseris succurrit? Sincera haec et ab omni nostri commodi studio longe aliena virtus summum obtinet humanitatis gradum, siquidem iis in humanum genus officiis vere cognitis atque nobis addictis, cetera quoque omnia eo facilius ac lubentius exsequemur. Saepius quidem illa ab aliqua hominum parte ut vana et noxia repre,



henditur, quippe quae nullis plane laboribus a nobis contingi poteret. Quae stultitia, exclamant, pro aliorum commodis nos ipsos periculis obicere, bona, quietem salutemque perdere et quamcumque, immo gravissimam injuriam aequo perpeti animo. At omnibus eadem sentientibus, nonne alius impune alium laedere, injuriisque afficere, ei obtrectare et bona possessionesque rapere poterit? Quanam igitur ratione permoti media viresque, quibus defensi a paribus injuriis tuti sumus, contemnentem rejiciamus? Nimis indulgens, affirmant, ac facilis hic animus, quodsi humano generi communis esset, nonne eidem societati et publicae prosperitati plane contraria, et maximo foret periculo? Quin et sapientissimum Cicronem ita sensisse dicunt, qui, ut publicae ejus orationes demonstrant, nil nisi inimicos ejus plane opprimendos, immo extirpandos in mente votisque habuit, nilque avidius concupivit.

Quam triste, quaeso, foret ac luctuosum, si



judicium hoc veritati consentaneum esset; sed diligentius perquirendo id sinistro prorsus animo conceptum animadvertemus. Quae cum ita sint, nostris occupationibus, Director gravissime, et Locū ornatissimi, non indignum fore puto, de praeclara hac hominum facultate paucis disserere. Et primum quidem veram egregiae hujus virtutis notionem ejusque naturam et genera noscimus, et tunc quaeremus, quomodo ad exercenda et colenda ejus praecepta perducatur animus, quomodo confirmet eam et usu suam faciat.

I.  
Cum omnium et quidem excelsissimarum virtutum finis ad nostram tendat perfectionem ac felicitatem: sequitur, ut non leviter tantum eas admiremur, sed et recte perspectas comprehensasque animis habeamus; quas tunc in agendo vitaeque instituenda ratione notiones sequi, et exercitatione magis magisque in summum, quem possumus, gradum ascendere, omnibus anniti viribus nos oportet.



Magnitudo animi in iis consistit actionibus, quas in aliorum commodum atque prosperitatem sponte ac lubenter, pura et sincera mente ad altiore[m] quendam finem animi viribus perficimus; eam itaque in animi organa quemcumque benevolentia, eximia mentis sublimitate conjuncta, fundatam esse apparet, cujus conjunctionis necessitas vel ex hoc intelligi poterit, quod sine animi bonitate mens nunquam talia aggredietur, sine rationis ope autem optimi quoque animi conata interitura erunt. Ad magnanimum pertinet quoque, nulli neque homini neque perturbationi animi nec fortu, nae succumbere, eaque, quae videntur acerba, ita ferre, ut nihil a statu naturae discedat, nihil a dignitate sapientis. Vis illa mentis a nobis impensa, firmitas, quam praestamus, et adnexa illis benevolentia gradus sublimi, latis dignitatisque hujus virtutis constituunt, et ex ejusmodi actionum numero magnitudo denique meriti dijudicanda est. Pro diversitate autem rerum occasionumque, in quibus nobiles



has actiones declaramus, varia quoque sunt genera magnanimitatis, quorum quae sunt praecipua breviter commemorabo.

Aut cum inimicis nobis est dimicandum, vitae salutique nostrae insidiantibus, aut ab aliis hominibus invitis ac imprudentibus casu damno injuriave afficimur, aut occurrunt nobis miseri, infelices, adversa adflicti fortuna, quibus adjuvamento et auxilio esse debemus, aut dignitates denique, bona divitiasque hujus terrarum orbis, nobilibus ducti rationibus ac causis despiciendo rejicimus; veruntamen ultima duo genera notasse hic sufficit. Quamvis enim exercendi virtutem omnium sane est hominum, quis non primo statim intuitu illas ad praestantissimas ac generosissimas referendas esse animadvertet? Nunquam admiramur, jam dudum Longinus dixit, eos, qui divitiis, honore, nominibus, potentia aliisque ejusmodi rebus sunt ornati, quas in scena tantum splendentes nullus vir prudens vera considerat habetque bona, quippe quas contemnere non parvum aestimatur bonum; sed eos



potius admiratione nostra prosequimur, qui, quamquam facile ea consequerentur, animi tamen magnitudine illa contemnentis abstrudunt. Sic Curius ille Romanus, victorum nuper Samnitum ingentia auri dona ceu indigna ac superflua repudiavit, dum ipse in parvulo agro tenui victu uteretur; quae generosa actio tot saeculis non minus ac splendida ejus victoria celebratur.

Facultatibus ac bonis nostris adjuvare miseros, iis que succurrere, et proprio quoque damno ea periculo eos liberare praeclarae ac vel divinae sunt actiones, quas omni tempore communis bonorum assensus prosequebatur. Curtius ille et animi et generis nobilissimus hunc adolescens, qui ad patriam conservandam sponte sua in vastum terrae hiatus se immisit; Leopoldus, dux Brunsvigensis, qui saevis Albis fluctibus homines, quorum lecta ipsosque impulerat amnis, eripere manifesto vitae periculo studebat, semper semperque in historiis eorum splendent, qui animi magnitudine excelluerunt.

Virtus itaque magnanimitatis erga inimicos,



eosque a quibus laedimur, ea praecipue est, quam  
 hic electam, quantum vires valent, explicabo. Fir-  
 mos, faciles ac patientes nos praestemus, et quas,  
 cunque injurias aequo perferre animo discamus;  
 a quo incipiendum est. Nil paene in sublunari  
 hoc mundo cuiilibet patientia magis est necessari-  
 um. Omnibus aliis nobis deficientibus, hoc adhuc  
 animi placandi auxilium remanebit. At ea tum  
 magnanimus ad ignoscendum inimico se attollens,  
 ad beneficia denique illi tribuenda progreditur;  
 ad quae efficienda stimulo quasi naturae et animi  
 proclivitate impellimur, ratione autem aperte ea  
 cognoscimus. Si magnanimus fueris, nunquam  
 iudicabis, tibi contumeliam fieri: De inimico  
 dices, non nocuit mihi, animum tantum nocendi  
 habuit; et cum illum in potestate tua videris,  
 vindictam putabis, non vindicare potuisse. Ferenda  
 est interdum lingua illius lubrica et malevola,  
 ac spernenda: quippe quae, si ex levitate proce-  
 rit, contemnenda, si ex infamia, miseratione est  
 digna, si ex injuria, remittenda. Ignis aurum  
 probat, patientia fortes viros, quae quidem



flamma experitur Mutium, paupertate Fabri-  
 cium, Rutilium caecio, tormentis Regulum,  
 et veneno Socratem, viri qui immortalis laude  
 decori apud omnem posteritatem vigent. At  
 certe humana haec virtus nequaquam est len-  
 titudo quaedam seu animi torpor in eo, quod  
 aliorum attinet erga nos tentamina et offen-  
 sas. Qui magnanimum illatum sibi damnum  
 quantumcunque omnino non sentire, aut ejus  
 sensum haud prae se ferre, nec viribus saltim,  
 quibus valeat, resistere et sibi praecavere, ex-  
 spectaverit, is virtutem sane, homini nequa-  
 quam congruentem, nec humanae societati salu-  
 tarem postulasset. Quomodo quaeso domestica  
 quaedam Societas, quomodo Res publica consta-  
 ret, si nec acceptam injuriam indigne ferre,  
 nec commissam poena afficere liceret; praefer-  
 tim in eorum hominum coetu, qui absque metu  
 vel poenae sensu nulla plane ratione a violan-  
 dis legibus civibusque detineri possunt. Quo-  
 minus ergo animi magnitudo in nimia, ut  
 dicitur, indulgentia in inimicos posita est, eo magis



tres has partes comprehendere illa mihi videtur:  
 ut prudentia primum vel animi praesentia in  
 ipso injuriae sensu personam a re, et hominem a  
 ratione ejus agendi distinguamus; deinde ut, quan-  
 topere modum illum agendi improbemus, inimico  
 tamen humanitatis officia non subtrahamus, et  
 denique, ut in tuendo obtinendoque nostro jure  
 omnem, quam possumus, aequitatem indulgentiamque  
 observemus. Quam crebro enim homines agunt errore  
 ducti aut imprudentia, aut animi motibus inci-  
 tati aut levitate mentis et temeritate quacum  
 sine judicio; viliâ; a quibus in praesenti ejus statu  
 nunquam plane liberabuntur. Sed scelestissimum  
 quemque tamen esse hominem semper cogitemus,  
 nec ulla humanitatis jura ei esse deneganda.

Magnanimus inimicum ipsum e periculo ser-  
 vat, indigentem opibus suis, quantum valet, adjuvat,  
 afflicto et laboranti libenter succurrit, dubio illi  
 et anxio consilium nunquam denegat, et quaevis  
 homini homo debet, ea animo praestare studet.

Exemplum, quod magnitudinem animi pulcherrime



oculis proponit, Romanus ille nobis praebebat  
 Furius Camillus. Hic virium Romanarum et  
 incrementum laetissimum et tutela certissima,  
 optime de populo Romano meritus, qui tot bene-  
 ficia ei tribuerat, qui salutem Urbis stabilie-  
 rat, felicitatemque auxerat, qui tanta prudentia,  
 animo - ac fortitudine tot oppida gentesque  
 subegerat, acerbissime ab eo laesus, ira et invidia  
 Tribunorum plebis in exilium est missus. At  
 tandem, quum jam illatam sibi injuriam re-  
 ferre, et populum fortuna adversa oppressum  
 inimicis praedam permittere posset, nobili venia  
 pudorem injecit metuentibus. Injuriam, qua  
 affectus erat, noscebat et sentiebat, sed non erat  
 immemor, patriam hanc esse, et et tantum abest,  
 ut se ulcisceretur, ut ex ignominia potius et  
 imminente periculo eos liberaret, et servator  
 ac beneficus evaderet civitatis, quae insontem  
 eum in exilium ejecerat. Item, quantus vir, quae  
 animi magnitudo, omnibus expetenda viribus!

Saepe autem videmus actiones, magni  
 ludinis imaginem prae se ferentes, quae sane  
 illi haud tribuendae sunt, et à quibus nobis



cavendum est: Primum observemus, cum gemitu, nudo cum voto aut lacrymis quibusdam non semper magnitudinem animi, sed saepius quoque simulationem conjunctam esse ac malitiam. Alii deinde inimicis magnanimitate occurrendi iisque ignoscendi consilium quidem cepisse videntur; sed ejus effectus in limine introitus à ratione ad voluntatem remanet, ex quo animi quidem mollitiam, nequaquam autem magnitudinem provenire videmus, cujus generis hominibus probitatem benevolentiamque mentis madidis potius oculis, quam facto ac revera probare cordi est. Frequenter denique actio ceu ex magnanimitate orta celebratur, cujus fons, si melius fuerit perquisita, erat sordidus, proprii commodi studium, in aliam occasionem dilata ultio, aut superbia.

## II.

Breviter tandem, pace Vestra, ad minicula adhuc, et auxilia consideremus, quibus ad exercendam colendamque hanc virtutem perducatur animus. Magnanimitatis fons et principium, ut vidimus, in praecipua consistit mentis benignitate.



Quos cunque homines, quo statu aut orbis terra-  
 rum loco vitam degant, pari studio ac amore,  
 nulla ullius praemii vel emolumenti habita ra-  
 tione complecti ac prosequi nos decet, commu-  
 nem eundemque nobis omnibus esse parentem,  
 cognoscentes atque sentientes, qui innumera-  
 bilibus ipse vinculis ad mutuum amorem ami-  
 citiamque nos conjunxit, et perfectiores nos  
 felicioresque reddere quam benignissime cupit.  
 Quibus deinde ut adhaeramus cogitationibus,  
 nobilitatem et egregiam hujus virtutis pulchri-  
 tudinem talibus considerandis exemplis ante  
 oculos ponamus necepe est, quibus penitus ac  
 intime movetur animus, ex quo tum vivum  
 atque ardens cognitionibus vis congruenter vi-  
 vendi propositum consiliumque nascentur, di-  
 rectio postea motusque voluntatis ad tribuenda  
 beneficia, acrius quoddam pro aliorum prospe-  
 ritate ac salute studium, quo tum ignoscendi  
 quoque ratio et indulgentia in vitiis eorum  
 nobis erit faciliior. In quibus omnibus nun-  
 quam simus immemores, quaecumque improba



et malevola facta ab ipso homine, qui illa  
perpetrauit, distinguenda esse, cui in tuendo ac  
obtinendo ipso jure nostro sola aequitatis et huma-  
nitatis officia tota semper mente praestare ad-  
laboremus.

Doctrinae omnes, quae, ut breuiter dicam, omni-  
hucusque tempore a sapientibus explicatae atq;  
confirmatae sunt. Et enim perspicue docent,  
viri boni esse, afflictorum misereri, iisque succur-  
rere, apud hominem constantem et ignoscendo  
esse locum, apud sapientem multum valere gra-  
tiam veniamque, irasci eundem nonnunquam, sed  
exorari quoque illum et placari. Quoscunque  
inimicorum impetus animi tranquillitas atque  
moderatio nostra flectet, dies leniet, tempus  
mitigabit. Tum illi desistent odisse, persequi,  
saevire, opprimere. Veruntamen, ut nec medici,  
nec duces, nec oratores, quamvis artis praecepta  
perceperint, quidquam magna laude dignum sine  
usu et exercitatione consequi possunt: sic offi-  
cii conservandi praecepta traduntur illa quidem,



Sed rei magnitudo usum quoque exercita-  
tionemque desiderat. Quemadmodum igitur  
meditatione atque assiduo usu omnium nos  
compotes reddimus virtutum, easque nostras  
facimus, sic eodem quoque studio talis in  
nobis animi conditio orietur, qua liberalissi-  
ma gratissimaque in humanum genus incli-  
natio ac favor animo mentique remanebit,  
quam vel in toto vultu omnique corporis  
habitu laeti conspiciemus. Qua animi digni-  
tate exornatis etsi applausus hominum  
nobis denegaretur, suprema tamen illa  
adprobatio ac benevolentia, maximum  
bonorum praesidium et firmamentum,  
nunquam nobis defutura erit.